



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Ira delinita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A amputatis, superioribus autem ita mutuo complexis, ut oculi speciem reddant. Plutarchus Osirim hujusmodi signo redditum arbitratur, qui, ut nonnulli prodidere, non Ægypti solum, verum & Italiae, & totius ferè terrarum orbis imperium obtinuerit. Ajunt vero scepra hujusmodi ita pluribus ramis ornari solita, ut plures erant provinciæ, quibus is imperitaret, cujus honori & nomini dictum esset id monumenti. Quercus enim Rheæ, quæ terra est sacra, ut Apollodorus, 3. de Diis, ait, Quin eos omnes quernis coronari tradit, ob utilitates quas arbor ea tam in ædificiis, quam in primo victu præbuit.

Apollonius lib. 1. Argon. præfert etiam plurimæ alias res quæ re- cense- Theophras- tus lib. c. 8. & 9. de plant. hist. Macr. lib. 1. Satur. c. 21. Ad verbum à Suetonio in Vespas. c. 5.

OSIRIS. CAP. VII.

Macrobis in hac oculi specie, quæ ab incurvatis ad complexum hinc inde ramis, ut in nobilitatis vestra gestaminibus spectare est, cum Osiridis nomen agnoscit, tum Solis id esse signum contendit. Oculi vero similitudinem ideo poni, quia Sol regali potestate cuncta despiciat, unde illi oculi cognomen apud antiquos. Sedenim de oculo eo commentario disputatum, quo per singulas humani capitis partes, quæ aliquid significant, decurritur.

PRINCIPATUS. CAP. VIII.

Æterum & in Aruspicum disciplina Quercus principatum ostendit, quod multis olim auguriis observatum est: ex quibus illud præcipuè referendum videtur, quod in suburbano Flaviorum Quercus antiqua, quæ Marti sacra erat, per tres Vespasie partus singulos repente ramos à fructu dedit, haud dubia signa futuri cujusque fati. Primum quidem exilem & haud ita multo post arefactum, ideoque puella nata non perennavit. Secundum prævalidum ac prolixum, & qui magnam portenderet felicitatem. Tertium vero instar arboris: quare patrem Sabinum ferunt aruspicio insuper confirmatum renunciasse matri nepotem ei Cæsarem natum. Contra vero sceptrum novissimo Neronis anno de Augusti manibus excussum fulmine, imperium Cæsaribus divinitus abrogatum indicavit.

Flavio- rum Quercus- Sueton. in Galba. c. c.

FERITAS. CAP. IX.

Quorundam etiam inventum fuit animi feritatem ex Quercu significare, quod etiam non ignobiles Poetæ agrestes homines, immites, atque sævos, nullisque humanis moribus expositos, duro ex robore natos dicitabant: de quo interpres Hesiodi: Veteres ait filios in quercubus aut petris exponere solitos, urbium tectorum ve commoditate nondum adinventam, datamque hinc animam, ut ex petris aut roboribus geniti viderentur.

Hom. Odyf. T. Nam us- que fatidi- ca quercu- fatus es.

OBSCOENITAS. CAP. X.

Habet & glans ipsa suum significatum, idque obsceno satis intellectu, ob eam scilicet qua prædita est figuram, pudendi virilis mucroni pene similem, atque hinc Arcadum obscœnitatem in cœli reperias, quod Βαλαροφδοιο essent. Unde Diogenes ejusmodi notæ adolescentem Arcadem dixit, is cujusmodi videretur esse interrogatus: intelligebat enim Arcadiam infamem esse, utpote quæ luxu deliciisque barbaricis corrupta esset. Alii referunt ad stuporem, unde dixerit etiam Juven. *Leva in parte mamilla nihil Arcadico juveni subsultare.* Sed cum priore sententia facit alterum ejusdem Cynici dictum, apud quem cum mentio fieret de puero quodam qui male pudicitiam tutabatur, Diogenes cujusnam is esset interrogatus. Tegeates, respondit, ludens scilicet ex ambiguo: nam Tegea civitas est Arcadiæ: Tegos autem interdum pro lupanari ponitur.

D. Laertius in ejus vita. Quia cellu- la lecti in- stat.

IRA DELINITA. CAP. XI.

Ipsa deniq; arbor Quercus, ea insignis asperitate, quæ omnibus conspicua est, non immerito fertur usque adeo inimica oleæ, ut eam juxta se positam extinguat. Olea vero cum sit pacis, mansuetudinis ac lenitatis indicium, excogitatum est Quercum olea complicare, cum iracundiam atque inexorabilem animi asperitatem sese ad lenitatem dedisse significandum fuerit. Contra addam *ναρξίβιον, νβί- μαρξέρον* & ea, quæ beneficium à Quercu consequuntur: scriptores enim naturalium rerum, hederam quercinam, viscum quercinum, & polypodium quercinum optimum dicunt,

Plin. lib. 24. cap. 1. Videndus Theophras- tus supra.